



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

[21.] S. Elisabetha Regina

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

Festum S. Elisabethæ Reginae  
Pauperum Patronæ in Seraphico Or-  
dine Clementissimæ.

EXHORTATIUNCULA I.

**E**Rubescat humana mollities ad vi-  
tam S. Elisabethæ. Tanta Regina  
non contenta vigiliis, & duplicatis jeju-  
niis, non rarò per manus ancillarum vo-  
luit fortiter verberari, ut flagellato pro  
se Christo vicem rependeret. Plus ultra!  
dicit amor.

*Instructio meritoria.*

Nunquam inveniamur sinè sacris in-  
strumentis, sinè ciliciis, & flagellis. So-  
lus eorum contactus, vel aspectus persapè  
jam profuit ad humilitatem, ad poeniten-  
tiam. Lectum his armis protegamus,  
& si vel minima insurgat periculosa co-  
gitationis titillatio, sine mora arripia-  
mus. Fugiet Satan, si viderit vindictam  
tam sanctam. Flectentes in nuda terra  
*ter tria Ave* recitemus cum formula:  
*Per Sanctam, & Immaculatam Conce-  
ptionem &c. Nihil Mariæ resistit poten-  
tiæ; nihil repugnat illius viribus; omnia*

*cedunt tantæ Domine imperio. B. Greg. Nicom.*

## II.

**M**ortuô marito, quem propter virtutem adamavit fidelissimè, contristata est Elisabetha nec in minimo. Imò Divinæ se oppidò conformans voluntati exclamavit : *Te Deum Laudamus ! Nunc expeditior Jesum sequar. Fili ! nihil perdimus, si Deum, & virtutem semel possidemus. Quid peritura desideramus, nati ad immortalia ? Amare homines, à quibus amari possimus, vel non amari, res plena periculi : Amare Deum, à quo non possimus non amari, si amemus, hoc securissimæ felicitatis est.*

*Instructio meritoria.*

Tempore desolationis, pusillanimitatis, & ariditatis magnanimi simus animi, quantocyus manum Domini exosculantes, & psallentes : *Cum invocarem, exaudivit me Deus justitiæ meæ : In tribulatione dilatasti mihi. Fili ! stemus in sancto timore, quorum vita est in exilio, salus in periculo, finis in dubio. S. Aug.*

III. S.

## III.

**S.** Elisabetha amore Christi, depositis omnibus sæcularis gloriæ indumentis, vili se vestiit tunicâ, & professa sacrum poenitentium Ordinem, patientiæ, & humilitatis omnibus fuit mirabile spectaculum. At meruit inde audire in mortis lectulo: *Veni electa mea ad æternum thalamum ab æterno preparatum.* Via ad cœlum non rosis, sed spinis strata est. Cur non advertitur? Charissime! Viatores sumus! Eundem est, non quâ placet, sed quâ licet. Nulli hîc quies indulgetur ante terminum.

*Instructio meritoria.*

Inter poenitentes vivimus! ut dignè, manè, & noctu Psalmum *Miserere* quotidie oremus, frequenter corda percuciamus, & dum soli sine arbitro, prostrato corpore culpam dicamus Deo, Mariæ, & omnibus Sanctis recitando: *Confiteor Deo omnipotenti &c.* poenitentia expectatur à reo: Cur negatur? *Non pudeat dicere, quod non puduit facere.*  
S. Bernardus.